

Stephanus Galdeti

*Magistri Amandi. Cordigeri
fratris Amandi positio in Sorbona*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

Utrum Verbum divinum ad causandum omnipotens ubique fore omnino sit consonum affirmare.

5 Agit primo de Verbi formatione. De qua ponit tres propositiones cum tribus corollariis.

Prima, quod idem fuit Verbum in substantia quod Pater in Deo generavit et quo omnia creavit, diversum tamen in forma. Probatur per
10 AUGUSTINUM *Super Genesim* et recitat MAGISTER 2 libro, distinctione 3, ubi querit quomodo possit intelligi quod dicitur quod *Deus dixit et facta sunt* vel *Dixit Deus 'Fiat lux'*, utrum temporaliter sono vocis illud dixerit an alio modo. AUGUSTINUS de hoc *Super Genesim* ait “nec temporaliter nec sono vocis Deum fuisse locutum, sed in Verbo coeterno sibi, id est Verbum genuit intemporaliter, in quo erat et disposuit ab
15 eterno ut fieret in tempore et in eo factum est.” Hec de prima parte illius propositionis.

Secunda pars patet, nam verbum indicativi modi et imperativi non sunt idem formaliter. Primo autem modo Verbum Dei est indicativi modi iuxta illud: *Ego hodie genui te*. Verbum autem quod loquitur beata
20 Trinitas fuit verbum imperativi modi iuxta illud *Genesis* primo: *Dixit Deus 'Fiat lux' et facta est lux*.

Ex ista propositione infert quod Verbum formale seu forma Verbi quod Deus Pater locutus est fuit necessarium et naturale, verbum autem quod tota Trinitas fuit voluntarium et liberale. Nam verbum indicativi
25 importat presentiam rei, omne autem quod est, quando est, necesse est esse. Verbum autem imperativi, quamvis importet presentiam in actu voluntatis, tamen contingentiam et futuritionem in re et effectu sequente, ut patet avertenti ad vim verborum iuxta istam ymaginationem: quod eadem actio in substantia fuit ab eterno in primo instanti originis
30 generatio, in secundo spiratio, in tempore creatio, quia formata locutio de huiusmodi multa tradit malencolica et extranea.

Secundum circa istam materiam ab ipso tactum est de Verbi perfectione et omnipotentia. De qua tres propositiones cum suis corollariis.

1–2 Magistri — Sorbona] *in marg. sup. P1*
24 quod] *p. c. P1*

7 Pater in Deo] *dub. P1*

Prima est hec: quod ad causandum quodlibet ad extra minimum requiritur in Verbo omnipotentia sicut ad causandum quodlibet maximum. Probatur, quia ad quodlibet tale requiritur maior activitas quam esset activitas omnium causarum secundarum, si per impossibile
 5 duplarentur, triplarentur, et sic deinceps, et esset in eis processus in infinitum, igitur. Patet consequentia. Et antecedens patet per actorem *De causis*, quia secundum eum prima causa plus influit quam tota latitudo causarum secundarum essentialiter ordinarum. Igitur, cum tantum influat quando est infinita latitudo uniformiter
 10 difformis causarum secundarum vacuata nec plena est causis secundis, quantum influeret tunc dupla, tripla latitudine causarum essentialiter ordinarum repleta, aliter difformiter in se ageret cum pluribus et aliter cum paucioribus, et sic cum nulla nichil ageret, quod est falsum.

Corollarium: quod agit actione infinita, aliter virtus aliqua posset in
 15 tantum intendi quod posset huiusmodi actionem impedire.

Secunda propositio est ista: quod ad hoc quod aliqua — demonstratis impossibilibus — non possint a Verbo fieri seu poni in esse requiritur in Verbo omnipotentia. Probatio: quia ad hoc quod huiusmodi ponerentur in esse requiritur in Verbo nullipotentia, ergo ad hoc quod non possint
 20 poni requiritur in Verbo omnipotentia. Antecedens patet, quia sequitur: ‘Impossibilia sunt in esse posita, igitur necesse esse est impossibile esse’ seu ‘non est’; sed Verbum est necesse esse; igitur ad impossibilia esse sequitur Verbum non esse, et per consequens nullipotentem esse.

Corollarium: quod nichil est ymaginabile ad extra ens aut non-ens,
 25 possibile aut impossibile, quod potest effugere omnipotentiam Verbi quin ab eodem causetur.

Tertia propositio: quod Verbum est nullipotens ad ponendum in esse infinita vel infinitum cathegorematicae. Nam, si forent duo infinita in quantitate mobilis, vel unum in quantitate virtutis et aliud in quantitate
 30 mobilis, essent duo infinita intensive in virtute, et sic duo dii. Assumptum patet, nam quamvis non semper in maiori sit proportionaliter maior virtus quam in minori, tamen in infinito quanto esset infinita virtus, ut ostendit COMMENTATOR 3 *Physicorum*, commento 43, et 8 *Physicorum*, commento 80.

Corollarium: quod omnipotentia Verbi huiusmodi multitudini infinite partium convenit non tot divisiones quin plures facit impossibiles esse divisiones infinitas. Nam, quia Verbum non potest facere infinitas cathegorematicae, ideo, si Verbum non tot quin plures istas faciat, Verbum
 35

23 esse²] g add. sed del. P1

31 non] nam a. c. P1

non tot quin plures alias facere non potest.

Ista sunt verba sua plena improprietate de secundo. ||

P1 1v

Tertio tangit de Verbi locatione atque residentia. Tres propositiones:

Prima: quod non plus concedendum est Verbum divinum esse
 5 ubique — quia presens omni loco existenti vel ymaginabili — quam
 nullibi, quia presens negationis omnis loci, tam realis quam ymaginabilis.
 Probatur, quia, sicut probatur quod sit extra mundum in spatio
 ymaginato (quia vocetur spatium B et spatium in quo mundus est
 A: tunc Verbum potest movere mundum ab A in B, quo facto Verbum
 10 erit in B sicut nunc est in A; tunc queritur: aut Verbum nunc est in B
 aut non; si sic, igitur propositum; si non, igitur Verbum est mobile), ita
 arguam: ymaginemur omnem loci privationem seu negationem seu quod
 nullus locus sit ymaginabilis. Sit B omnis negatio loci ymaginabilis. Sit
 B talis negatio et A omnis locus ymaginabilis. Et ymaginemur quod
 15 omnis locus ymaginabilis transeat in negationem suam, scilicet A in
 B. Tunc quero: aut Verbum est in B aut non? Et concludetur vel nunc
 esse in B vel esse mutabile, ut prius. Nam si nunc non esset in B, id est
 nullibi, et tunc esset in B propter solam transitionem A in B, et non
 per mutationem Verbi. Ita faciliter dicam in primo casu.

Corollarium: quod magis concedendum est Dei Verbum esse
 nullibi propter presentiam eius negationi omnis loci tam realis quam
 ymaginabilis quam dicatur esse ubique propter presentiam sui ad omnem
 locum ymaginabilem, licet utraque verum sit, unum propter excessum
 25 sue infinite immensitatis quo excedit omnem locum, nedum realem, sed
 ymaginabilem, et quo est extra locum, aliud vero propter eius presentiam
 ad omnem locum realem seu ymaginabilem. Probatur corollarium, quia,
 si aliquid dicatur esse in aliquo loco pro minori sui parte et in alio
 pro maiori sui parte, magis concedendum est eum esse in loco in quo
 est pro maiori sui parte quam in loco in quo est pro minori sui parte.
 30 Igitur a simili, si aliquid pro maiori sui, ymo pro suo adequato, est in
 negatione omnis loci realis seu ymaginabilis, et pro minori sui, seu non
 pro adequato, est in omni loco reali seu ymaginabili, magis concedendum
 est illud non esse alicubi vel nullibi esse quam ubique esse, tamen utraque
 concedendum.

35 Secunda propositio est ista: concedendum est Verbum sic esse in omni
 loco seu ubique, collective capiendo cincategorema et non distributive,

4 plus | p. c. P1 ; plusquam a. c. P1 19 per | p. c. P1 20 magis | p. c.
 P1 25 est | sup. lin. P1 eius | cuius a. c. P1 31 non | sup. lin. P1

sicut sumitur in ista: ‘Omnes apostoli sunt 12’. Probatur, quia, si esset in omni loco distributive, cum non sit contradictio distributionem fieri pro uno et non pro alio, posset Verbum esse in isto loco et sine contradictione non esse in alio. Consequens impossibile, nam eque contradicunt iste:
5 ‘Verbum est in isto loco, et non in illo’, sicut ‘Est in isto loco, et non in illo’. Et sequitur: ‘Non est in omni loco, igitur non est in aliquo’.

Corollarium: quod presentia Verbi ad istum locum est eadem in numero ad presentiam eius ad quemcumque alium locum.

10 Tertia propositio huius materie: Verbum aliququaliter esse alicubi qualiter non alibi aut aliququaliter esse alicubi qualiter non ibi pater probat, quia Verbum tantum excedit omnia essentialiter quantum omnia loca dimensionaliter, sed non obstante primo, potest sibi applicari aliquod suppositum et non aliud aliququaliter.

15 Corollarium: quod non videtur implicare contradictionem Verbum aliququaliter posse mutari aliqua specie motus incipiendo, quamvis non esse alicubi, tamen incipiendo aliququaliter esse qualiter non ante.

Hec dicta ex se invicem et ex aliis rationabilibus impugnari possunt, quia circa hec vult consiliare. Hec de illo improbare facile relinquatur.